

XXXIV.

Abbatia Menatensis, & Monasterium sancti Wimeri Abbatibus Cluniacensibus subjiuntur in perpetuum.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili fratri Hugoni Cluniacensi Abbati salutem & apostolicam benedictionem.

Exordium.

Desiderium, quod ad religiosum propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, sine aliqua est, auctore Deo, dilatione complendum. Venerabilis siquidem frater noster Johannes Morinorum Episcopus, petente Eustachio Bononiensi Comite, sancti Wimeri Abbatiam sollicitudini tue, charissime frater Hugo, corrigendam commisit. Et nos ergo juxta eius desiderium ac deliberationem, presentis decreti assertionem sancimus, ut idem beati Wimeri Monasterium semper in tua tuorumque successorum ordinatione permaneat. Nec alius illic Abbas substituatur, nisi qui in vestra fuerit deliberatione provisorius. Idem etiam de Menatensi Monasterio constitutum, quod jamdiu in vestra ordinatione permansit. Præterea, quoniam omnipotens Deus & ante nostra tempora & in diebus nostris præcipuum religionis monasticæ disciplinam in vestro dignatus est Monasterio conservare, hanc vobis prerogativam concedimus, ut quisquis ad vos alieni Monasterii Monachus pro vitæ melioratione transferat, licenter recipiatur, remotis Prioris loci querimoniis, ut largiente Domino, salutis, quam querere videtur, apud vos potiatur effectum. Si quis vero temerario ausu his salutiferis constitutionibus obviam ire præsumperit, apostolicæ indignationis ultione plectatur, & communionis ecclesiasticæ periculum patiatur.


In Monasterio S. Wimeri præcedendi Abbatem per Abbatem Cluniacensem. Sicut & Menatensi Abbatia.

Cuius Monacho licet ad Cluniacensem Cœnobium transferre.

Solite clausula.

PP. subscrip. tio.

EGO PASCHALIS Catholicae Ecclesie Episcopus subscripsi.



Dat. die 4. Augusti anno Domini 1107. Pontif. anno VIII.

Datum apud Aquabellam per manum Johannis sancte Romanæ Ecclesie Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, II. Non. Augusti. Indictione XV. Incarn. Dom. ann. MCVII. Pontificatus autem Domini Paschalis PP. Secundi, VIII.

XXXV.

Decretum libertatis & exemptionis pro Monasterio S. Benedicti ad Padum.

Vide superius num. XXI.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Alberico Abbati Monasterii S. Benedicti, quod juxta Padum situm est, ejusque fratribus, in perpetuum.

Exordium.


Ecclesie filios per Prophetam Spiritus Sanctus admonet dicens: Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus. Debemus igitur nos, quibus Ecclesie cura commissa est, filiorum nostrorum quieti attentius providere, ut divinæ visioni vigilantius vacare prævaleant. Quapropter, charissimi in Domino filii, hoc vobis Apostolicæ promissionis munimine impendimus, ut nulli Episcopo, vel Archiepiscopo facultas sit, sine certa Romani Pontificis licentia Cœnobium vestrum aut cellas vestras, & conversantes illic Fratres, Monachos, sive Clericos excommunicare, vel interdicare. Nec Episcopis vel Episcoporum ministris liceat claustrum vestrum vel cellarum Fratres inquietare pro elemosynis, quas de suo jure quisque pro vivorum seu defunctorum salute obtulerit; sed eas in usus congruos dispensandas præter eorum calumnias recipere, nisi forte excommunicati sint, licentiam habeatis. Porro Ecclesiarum, sive Altarium consecrationes, & ecclesiasticorum Ordinum promotiones, Congregationis vestre Fratres, Monachi sive Clerici, ab Episcopis, in quorum Diocesis sunt, reverenter accipiant, si quidem gratis, ac sine ullius conditionis exactione voluerint exhibere; alioquin, a catholico, quem maluerint, Episcopo consecrationum ipsarum sacramenta suscipiant. Si quis autem decreti presentis consensu contra id temere tentaverit, honoris & officii sui iacturam subeat, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. EGO PASCHALIS Catholicae Eccl. Epif. Is.

Nullo Archiepiscopo, vel Episcopo, liberum sit abique licentia R. Pont. Monachos aut Clericos Monast. hujus excommunicare.

Aut quidem elemosinarum sibi arrogare: Vel de num. pro consecrandis sacris ordinibus quidem petere.

Solite clausula.

PP. subscrip. tio.



Datum Mutinae per manum Johannis sancte Romanæ Ecclesie Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii.

Dat. die 1. Septembr. anno Domini 1107. Pontif. anno IX.

Bibliothecarii Kal. Septem. Ind. XV. Incarn. Dom. Anno MCVII. Pontificatus autem Domini Paschalis II. Papæ IX.

Ego Ritus Presbyter tituli Damasi s. Ego Landulphus Presbyter Cardinalis tituli Lucinae s.

Ego Dunzo Presbyter Cardinalis tituli B. Martini & S. Silvestri s.

Ego Bernardus Romanæ Ecclesie Diaconus s.

XXXVI.

Narbonensis Ecclesie possessiones & jura confirmantur.

Ex Ms. Collegii Parisiensis s. Jac. Jesu editi. Nicolaus Colerus Concil. T. xii. loc. cit.

Exordium. Corin. 1. 13. Thes. 1. 3. Thes. 1. 2.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili fratri Ricardo, primæ Sedis Narbonensis Antistiti ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Caritatis est donum proprium providere profectibus aliorum: Caritas enim non querit, quæ sua sunt. Unde & Apostolus: Nunc autem vivimus, si vos statis in Domino. Et iterum: Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum? Hoc igitur caritatis debito provocamur, & Apostolicæ Sedis auctoritate compellimur, honorem debitum fratribus exhibere, & sanctæ Romanæ Ecclesie dignitatem pro suo cuique modo cæteris Ecclesiis impertiri. Idcirco, venerabilis frater Ricardo Narbonensis Archiepiscopo, presentis decreti pagina tibi tuisque successoribus, quidquid parochiarum ad primæ Sedis Narbonensis Ecclesiam antiquo jure noscitur pertinere, confirmamus. Porro infra parochias ipsas jure proprietario tam tibi quam tuis successoribus possidenda, regenda, & disponenda sancimus, Ecclesiam sancti Pauli cum omnibus pertinentiis suis, oppidum Caput-stagni, Salas Acufadas, Argens, fontem Jocosum, Auriag, villam Rubeam, Segionum, & cætera prædia, cellas, seu possessiones, quæ vel a Regibus vel ab aliis fidelibus viris Ecclesie sanctorum Martyrum Jusi & Pastoris oblatae sunt, tam in Narbonensi Comitatu, quam in Biterrensi, & Redensi, Sustantonensi, & Nemausensi; infra vero urbem Narbonensem medietatem ipsius Comitatus, medietatem telonei, portatici, raticæ, salinarum, & cæterorum reddituum, qui a civitatis Comite tam de marinis quam de terrenis institoribus exiguntur; in Monasteriis vero, seu cæteris per Narbonensem Ecclesiam Ecclesiis, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, canonicum vobis jus obtinere concedimus. Sane ad vestram Metropolim pertinentes Episcopales Cathedras videlicet Biterris, Carcaffonæ, Tolosæ, Elnæ, Aghates, Lutovæ, Magalonæ, Nemausi, Uzeticæ, tibi tuisque successoribus in perpetuum subiectas, obedientiam debitam servare censuimus. Primatum etiam vobis super secundam Narbonensem, idest Aquensis metropolis, sicut a nostris prædecessoribus statutum est, confirmamus; & quidquid ex antiquo jure sepe dictæ Ecclesie Narbonensi competit, rarum perpetuo & inconvulsim manere decernimus. Statuimus ergo ut nulli hominum liceat eandem Ecclesiam te-

Parochia Narbon. Archiepisc. subiecta.

Item & bona ad eam pertinentia.

Quæ eadem confirmantur eum juribus omnibus &c.

Ecclesie eidem Suffraganeæ.

Aquensis Episcopus sub jurisdictione Primatus Narbonensis.

mere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere; minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactioe congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem Ecclesie justè servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Solite clausula.

PP. subscrip. tio.

Dat. die 13. Julii anno. Dñi 1108. Pontif. Paschalis anno IX.

EGO PASCHALIS Catholicae Ecclesie Episcopus subscripsi. Datum apud Privatium, per manum Johannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, tertio Idus Julii in anno Dominicæ Incarnationis MCVIII. Pontificatus autem Domini Paschalis II. Papæ, IX.

XXXVII.

Confirmatio honorum Monasterii S. Mariæ Florentinæ. Diocesis, quod Florentinis Episcopis in spiritualibus subjiuntur.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Abbati Florentini Monasterii, quod sanctæ Mariæ dicitur, ejusque successoribus regulariter promovendis, in perpetuum.

Ex Tabularia Monasterii hujus editi Ughell. Ital. Sac. T. iii.

Præ postulatio voluntatis effectu &c. prout in cæteris privilegiis.

Videlicet castrum Vicium cum curte & Ecclesiis & omnibus pertinentiis, castrum de Signa, & tertiam partem castri de Grumulo cum Ecclesiis & pertinentiis earum, curtem de Greve cum Ecclesia S. Martini cæterisque possessionibus suis, Ecclesiam S. Bartholomæi cum curte & terra Benzoni & Azæ Uxorij ejus de Radda: insuper & terras ejusdem de Petitorio, seu in quibuscumque locis cum omnibus pertinentiis suis, castrum Radda cum curte & Ecclesiis & omnibus pertin., Castrum de Tigniano tertiam partem cum Ecclesiis & pertinentiis, Ecclesie S. Nicolai in campo Clarentis cum curte proprietatis & adjacentis, castrum de Collemontis cum curte & omnibus pertinentiis, curtem Caverini cum omnibus suis possessionibus, castrum Bibianum cum Ecclesiis & omnibus ad eas pertinentibus, Ecclesiam S. Martini in loco Confluenti cum pertinentiis suis, Ecclesiam S. Martini, quæ est infra Civitatem juxta prælatum Monasterium cum casis terris & omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Martinian. Mensula cum omnibus pertinentiis suis, curtem Montis-domini cum omnibus ad eam pertinentibus, curtem de Mandria cum pertinentiis suis, Terram Johannis filii Theudi cum casis & reliquis

Bona, quæ Monasterio confirmantur.

Confirmantur quoque privilegia omnia tum Regalia tum Pontificalia:

Cum omnimoda tamen subiectione ab Episcopo Florentino

Immunitas in iis, que Monasterio propria sunt

Excommunicantur Constitutionis huius violatores.

Paschalis PP. subscriptio.

Dat. die 14. Septemb. anno Domini 1108. Pontif. anno X.

liquis possessionibus, sicut Maria & Donatus filius Monasterio contulerunt, casas & terras Johannis filii Bogæ, Ecclesiam S. Proculi cum terris & domibus circa se, terram quoque in Podio Rivi-frigidi, & quiddam Bonifacius, Benedicti Abbatis frater, eidem Monasterio contulerunt, casas & terras Johannis filii Bogæ, qui Ecclesie S. Proculi obtulit. Præterea quæcumque hodie Pontificum concessione, Principum liberalitate, vel oblatione fidelium, vel aliis iustis modis idem Cœnobium possidet, sive in futurum iuste ac canonicè poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Laborum quoque vestrorum decimas, præter quorumlibet contradictionem, tam vobis quam successoribus vestris, in monastica religione permanentibus, habendas concedimus. Consecrationes Altarium sive Basilicarum, ordinationes Monachorum, seu Clericorum Monasterio pertinentium, a Florentino accipietis Episcopo, si quidem gratiam Apostolicæ Sedis habuerit, & si ea gratis & sine pravitatis molestia voluerit exhibere; Alioquin liceat vobis Catholicum, quem malueritis, adire Antifitem, & ab eo consecrationum sacramenta suscipere, qui Apostolicæ Sedis fultus auctoritate, quæ postulat, indulgeat. Porro Episcoporum, seu episcopaliū ministrorum actiones omnes ab Ecclesiis sive clericis ejusdem Monasterii removemus; sepulturam quoque ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri desideraverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obstat. Si qua ergo ecclesiastica secularisque persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, temere contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Datum Florentiæ per manum Johannis S. R. E. Diac. Card. atque Biblioth. an. Dominicæ Incarnationis MCVIII. VIII. Kal. Octob. Indictione prima, Pontificatus vero D. Paschalis II. Papæ anno X.

XXXVIII.

Canonizatio S. Petri Episcopi Civitatis Anagninæ in provincia Campaniæ, ejusque adscriptio in numerum SS. Confess.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, Episcopis Anagnino, & aliis per Campaniam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Dominum excelsum habentes præ oculis, qui in Sanctis suis laudatur & benedicitur, & considerantes propterea strenuè, probatæque vitæ merita, quibus vir sanctus Petrus, quondam Anagninus Episcopus, de Regula Monachorum assumptus, in pastoralis officio pure, simpliciter, solerti vigilantia & exemplo, Deo deservivit: Admirantes etiam miraculorum insignia, quibus Sanctum suum ante & post obitum divina Gratia decoravit, prout per Brunonem Signensem Episcopum fideliter adnotatur, & usque ad nostra tempora decorare non desinit: auctoritate præsentium vobis licere volumus & mandamus, quatenus III. Nonas Angusti die natalis ejusdem Confessoris & Præsulis, numerandi Sanctorum catalogo, congrue celebrem recolatis, quatenus in præsentem gratiam, & in futurum, opitulante divina clementia, piis ejus intercessionibus mereamur gloriam sempiternam.

Dat. Signæ secundo Nonas Junii, Pontificatus nostri anno X.

Petrus mirabilis clarus SS. Confessorum numero adscriptur.

Dat. die 4. Junii ann. Dni 1109. Pontif. anno X.

XXXIX.

Aliud Privilegium, quo alia bona Cluniacensi Monasterio confirmantur.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Pontio Monasterii Cluniacensis Abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

ET Religio Cluniacensis Cœnobi, cui Deo auctore præfides, & prædecessoris tui sanctæ memoriæ Hugonis Abbatis, dulcissima reverendaque dilectio, cogunt nos, fili in Christo charissime Ponti Abbas, tuis petitionibus indulgere. Ea propter Abbatis, vel Prioratus, qui sub prænotati Abbatis Hugonis dispositione manserunt, sub tua quoque vel successorum tuorum dispositione permanere decernimus. Id est, Moitiacum, Figiacum, Abbatiam S. Martialis Lemoicensis, Angiriacum, novum Monasterium Pitavense, Abbatiam S. Egidii, Abbatiam Mauziaci, Abbatiam Verxeliaci, Abbatiam S. Germani Antiffiodorensis, Abbatiam S. Bertini, Abbatiam S. Wolmerii, Abbatiam Unicurti, Abbatiam S. Benedicti super Padum, Prioratum Nantoaci, Gigniaci, sancti Marcelli Cabilonensis, Crispeiaci, Verciaci, Paredum, Carum locum, S. Marcelli de Salzie, sancti Salvatoris Hirvern., sancti Stephani ibidem, Nazaram Scarionis, sanctum Isidorum, sanctum Saturninum, Salsinianas, Silviniacum, S. Mariam de Charitate, Luperciacum, S. Reverianum, S. Martinum de campis,

Exordium.

Enumeratio bonorum, que confirmantur

Monachi Cluniac. a quo maluerint Episcopo sacros Ordines.

Sacramentum Chrisma, accipiendi habeant libertatem.

Decretum immunitatis ab omni perturbatione, aut vi &c.

Sub solis penis.

PP. subscriptio.

pis, Longum pontem, Consiacum, Nogentum, Leontium, Gagas, Trualdium, Cariagobium, Rozanum, S. Pancratium de Lanis, montem Acutum, in Anglia, Etifrodium, S. Albanum de Ransilegia, Romanum Monasterium, Paterniacum, S. Victorem in Geneva, voltam S. Florum, Alariacum, Morracum, S. Licerium, S. Orientium, Setmontem, Carenniacum, S. Fidem de Morlanis, S. Eutropium, S. Mariam de Castello, S. Majolum de Papiæ, S. Gabrielem de Cremona, S. Paulum de Pergamo, S. Jacobum de Pontivo, Bertemala, Rodobium, Castellum, S. Gregorium de Placentia, Abevillam, Atcerens, Alavart, Donna, Vazilia, Cabiol, Magobrium, Fodrovillam, cellam in Almania, Roquespertum Villaris, S. Mariam de valle, Marciniacum, Ambertam, Rivis, Chaberors, S. Nazarium, Borbonensem, Boorzium, Esalas saltum: In locis autem, quæ sine proprio Abbate diebus domni ac venerabilis Hugonis Abbatis fuisse videntur, nunquam aliquis Abbatem ordinare præsumat. Illud etiam libertatis Cluniacensi Cœnobio firmum haberi sancimus, ut vestri Monasterii Monachi, qui ad sacros sunt ordines promovendi, a quibus malueritis catholicis Episcopis promoveantur. Chrisma vero, si opportunitas exegerit, in vestro faciatis Monasterio consecrari, vel a quibus volueritis Episcopis accipietis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisque persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Qui vero divini timoris intuitu custos & observator extiterit, sit super eum pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen.

EGO PASCHALIS Catholica Ecclesie Episcopus ss.



Datum apud Castellum per manum Johannis S. R. E. Diacom Cardinalis ac Bibliothecarii, XVII. Kal. Novem. Indict. II. Incarnat. Dominicæ anno MCIX. Pontificatus autem Domni Paschalis secundi XI.

Dat. die 16. Octobris anno Domini 1109. Pontif. anno XI.

X L.

Descriptio limitum S. Soranæ Ecclesie, cujus bona omnia confirmantur.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili fratri Goffrido Sorano Episcopo ejusque successoribus... Populum...

Ex Archiep. Ecclesie huius editis Nic. Coletus in nova edit. Ital. Sac. T. I.

Sicut injusta petentibus nullus est tribuendus effectus... petitioni tuæ, frater in Christo charissime, presentibus annuentes, ad perpetuam S. Soranæ Ecclesie pacem ac stabilitatem presentis decreti auctoritate sancimus, ut universi Parochie fines, qui a Parochianis ante cum iuribus suis usque hodie possessi sunt, ita omnino integre tam tibi quam tuis successoribus in perpetuum conserventur, qui videlicet fines versus Fundum & criptam latronis, inde in terminum Cetiniam, inde intro, & inde... Soranam, inde in Sangrum inde in vallem Regiam, inde in Alfedenam, inde in Vestiam, inde in faviram Anistri, inde in Petram Rectam, in Coaciam, inde in Sulfuratum, in Pontem fractum, inde in Montem Cornetum, inde in campum Roncium... inde in Petram malam, inde in terram de Piro, inde reditum ad præscriptum collem... intra quos fines in oppidis omnibus, & villis, & monasteriis, & ecclesiis tibi tuisque successoribus... quæta semper & integra permanere decernimus... castellum Insulæ cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Laurentii... & Ecclesiam S. Pauli in Campo, in Arpino plebem S. Mariæ, & plebem S. Archangeli in Castello... Ecclesiam S. Mariæ, in Sora plebem S. Rehitutæ, Ecclesiam S. Laurentii, Ecclesiam S. Lucie, Ecclesiam S. Viti in Carpello, Ecclesiam S. Petri... duo molendina in flumine Liridi, & unum in Caruelo in valle Sorana Ecclesiam S. Petri & S. Donati... plebem S. Mariæ, Ecclesiam S. Savini, Ecclesiam S. Mariæ de campo, S. Urbani, Ecclesiam S. Mariæ de Picenisi in Atino, Ecclesiam S. Mariæ S. Petri, S. Silvestri, S. Mauri, S. Angeli de... tria molendina in flumine Melfi cum suis pertinentiis: Item extra Atinum Ecclesiam S. Marciani. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere vexare, perturbare, & possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis vero in craftinum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, aut ecclesiastica quelibet secularisque persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacra-

Describuntur Diocesis limites.

Confirmatio bonis, que hic enumerantur.

Eadem perpetua immunitate frui decernitur.

Sub solis penis.